

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LXXXVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

humanitatem bonorum experiatur. Commendo eatenus eum T. H. ut alloquio eum digneris & dirigas etiam ad alios aliquot. Si volet Dominus T. H. ipse brevi visam. Scripsi Basil. 15. Augusti an. 65.

T. H. totus


Sulcerus.

LXXXV.

S Clarissime Domine Doctor, & mihi in Domino honorande frater. Si quod gratum officium mihi præstitit T. D. rogo, ut propter me hunc puerum iuvet, si possit, in Collegium Wilhelmitanum recipi. Præstitit mihi T. C. in simili petitione officium gratum, id verò longe gratissimum est futurum. Puer D. Osiandæ Cognatus est, qui idem à me petit. Et quæ est tua pietas, utriusque non denegabis, modo locus aliquis sit, sin verò nunc recipi non potest, in tam ampla urbe fortassis tamdiu hæere posset, donec locus aliquis vacaverit. Conversationis nostræ dulcissimæ sicut semper sum memor, ita vicissim pro te etiam sum sollicitus, ne forte malum te infestet amplius, quod coram adspeximus, Dominus te longævum Ecclesiæ suæ conservet & dona sua augeat, nobis omnibus, ut unanimi & pio consensu insultus Sathanæ sustinere & repellere possimus. Universum Collegium tuum quæso meo nomine reverenter salutes. Bene & feliciter vale. Raptim Tubingæ pridie Calendarum Septembris. Anno 65. Concordantiarum hebraicarum quæso non velis oblivisci. Cujus rei Dominus Speccerus mihi spem fecit. Interea dum reverentissus sum, etiam Jesuitis Ingolstadtienibus respondi.

R. T. addictissimus

Jacobus Andreæ,
ut semper.



LXXXVI.

S In Domino. Etsi, Clarissime D. D. hætenus nulla cum tua R. mihi fuerit confusio aut familiaritas, ideoque subimpudens videri possum, qui & ad tantum virum mihi nondum familiarem scribere, & ab eo beneficium petere audeo, in quem nullum meum meritum extat: tamen, quæ est tua pietas & à multis mihi prædicata humanitas, spero me hisce literis tuæ R. non fore molestum. Est mihi cognatus in oppido Guntzenhausen, Christophorus Kistner, filius amicæ meæ. Is adolescentem filium suum studio-

rum

rum gratia Argentinam duxit, invitatus celebritate Scholæ vestræ. Cum autem propter angustiam rei familiaris non possit eum ultra annum in schola Argentoratensi suis sumptibus sustentare, certior factus de beneficio Wilhelmitici Collegii, in quo pauperes studiosi educantur, profectus ad me, rogavit, ut meis literis apud R. tuam, Superattendentem illius Collegii, intercederem, quo filius (qui literas tuæ R. reddit) in collegium illud reciperetur. Si quod igitur, Clarissime Vir, apud tuam R. meæ preces pondus habent, obnixè oro, ut hunc adolescentem commendatum habeat, suoque suffragio, ut recipiatur, mea causa juvet, quo voti nostri tuæ R. beneficio compores fiamus. Intercessissem pro hoc meo cognato, ut in scholam aliquam Monasticam hujus Ducatus reciperetur, nisi multitudo eorum, qui ex hoc Ducatu oriundi sunt (quibus ægre prospici potest) omnem mihi ea de re spem ademisset. Dignus est parens ejus, vir optimus, hoc beneficio, & existimo adolescenti nec diligentiam defuturam nec ingenium, planeque talem & nunc esse & futurum etiam in posterum, confido, ut R. tua intelligat, recte & bene hoc officium pietatis esse collocatum. Hoc ingens beneficium si impetravero, non parenti modo & adolescenti, sed mihi ipsi id præstitum putabo: ac si quid erit, in quo vicissim tuæ R. meum studium probare poterò, experietur me hominem minime ingratum. Bene & feliciter valeat R. tua, & huic meæ audaciæ, quam ego necessitatem interpretor, ignoscat. Oro etiam, ut tribus verbis rescribere dignetur, ut has reddidas esse, agnoscere possim. Datæ Stutgardia 3. Septembr. Anno 1565.

Tuæ R. deditus

Lucas Osiander, D. Ecclesiæ
Stutgardianæ minister.

LXXXVII.

S. D. Si qua mihi ad scribendum occasio offertur, Reverende & Clarissime Domine Doctor, qua te literis meis compellare liceat, id merito impense gaudeo. Nam cum semel te veris de causis amare cœperim, meum ingenium, meam naturam secutus, qua duce honestas amicitias semper conservare studui, meam illam erga te tuosque piam & sinceram benevolentiam, ita conceptam, ut altis jam radicibus fixam, eam nulla vis movere, multo minus excindere possit, ad hunc modum, DEO volente, tueri conabor, ut illam inter nos immoram & perpetuam esse, intelligant omnes. Quare jam diu ad proximas literas tuas respondere parantem, inhibuit molesta quædam

Cc 3

for-